

BERLICH. TREUTLER, communior reliquorum ferme omnium, ac teste VINNIO in *QQ. Jur. Lib. 1. cap. 44.* in plerisque recepta curiis; ac

Prob. hæc pars ex L. 3. C. de Reb. cred. ubi: per judicem jurejurando causa cognita, rem decidi oportet; verbo autem oportet necessitas imponitur judici. Accedit ratio manifesta; quia in re dubia, qualis efficitur, si unus testis, vel alia semiplena probatio fuerit allata a parte, aliter causam decidere judex non potest; ideo namque L. 1. ff. de Jurejur. jusjurandum dicitur remedium maximum expediendarum litium: sed judex, si de re cognoscere cœperit, de eadem quoque pronunciare jubetur, finireque litem; ergo, cum hoc sine delatione juramenti suppletorii non possit in casu, illud deferre debet, sicque curare, ut probatio fiat plena.

Dictum 1^o. modo deficiant probationes aliæ; secus enim deferretur juramentum sine sufficienti causa, et proinde temere; quod non licet. 2^o. In civilibus; nam in criminalibus saltem reo, qui talis semiplene probatus, deferri non debet; certe non expedit ob perjurii periculum.

643. *Obj. I. L. admonendi. 31. ff. de Jurejur. adhibet verbum solent, nimirum: solent sæpe judices, etc. sed ea vox non necessitatem indicat, sed liberum usum; ergo.*

II. Actore non probante reus est absolvendus, *L. 4. C. de Edendo. L. 9. C. de Testib. vel saltem ipsi reo judex deferre juramentum potest, L. 3. C. de reb. cred.*

III. Paria sunt, non probare, et non probare perfecte, *L. 6. ff. qui satisd. cog. Quando enim lex probationem exigit, legitimam ac plenam exigit, L. ult. C. de Prob. Ergo si actor non plene probet, non tenebitur judex ei deferre juramentum, ut suppleatur probatio.*

Ad 1^{um}. *R. N. min.* Verbum solent necessitatem importat, ut cum verbo oportet in *cit. L. 3.* concordet; sed et ex ipsa *L. admonendi*, colligitur, dum additur: *secundum eum, qui juraverit.* Demum et alibi in jure verbum solet pro debet ponitur, *L. 86. 94. ff. de R. J.*

Ad 2^{um}. *R. D.* Si plane nihil probet *C.* si probet semiplene *N.* Sed tunc expediendæ litis remedium est juramentum, et fieri debet probatio plena. Dein falsum est, quod præcise reo deferendum sit juramentum in causa dubia; sed, pensatis circumstantiis, relinquitur judici, deferre juramentum vel suppletorium actori, vel purgatorium reo, *L. 3. cit. et c. ult. de Jurejur. ubi: præsumptione vero faciente pro illo (scilicet actore) reo deferri potest juramentum, nisi judex, inspectis personarum et causæ circumstantiis, illud actori videat deferendum.*

Ad 3^{um}. *D.* Paria sunt, si nec verisimiliter, aut semiplene intentionem suam, vel exceptionem probet pars *C.* si saltem ita probet *N.* Qui semiplene probat, non agit nihil; et quamvis non fecerit plenam judici fidem, fecit tamen opinionem; et quia *L. ult. C. de Prob.* requiritur probatio plena ex dictis, hæc vero sine juramento suppletorio haberi non potest; consequenter judicem obligat, ut deferat juramentum.

ARTICULUS II.

DE OFFICIO ET OBLIGATIONE REI.

646. *Dico I.* Reus legitime, et servato juris ordine interrogatus tenetur fateri veritatem, nimirum debitum; vel etiam delictum, saltem non capitale, dum periculum amittendæ vitæ non incurrit; vel rem quamcumque aliam.

Prob. Quilibet jure divino et naturali tenetur obedire superiori legitimo et juste præcipienti: sed judex legitime interrogans est legitime præcipientis, extra causam saltem criminis capitalis; intendit enim obligare interrogatum, ut fateatur, quod res est: ergo etiam fateri tenetur; cum secus, si non daretur in reo obligatio fatendi veritatem, frustraneum in judice sit jus interrogandi.

647. *Dico II.* Non tenetur reus fateri delictum, si non legitime interrogetur a judice. Est communis DD. cum *D. THOMA q. 69. a. 2.* Ac colligitur ex *c. 17. 19. 21. de Accusat.* ubi prohibetur judex interrogare de occultis, sicque obligare interrogatum ad veritatis confessionem. Et vero judex non legitime interrogans se habet instar privati, cui fateri nemo delictum tenetur, aut jurare; sed interrogans potest eludi arte, vel amphibologia.

Dixi 1^o. *delictum:* in civilibus enim, si reus sciat, debitum suum nondum esse expunctum, tenetur aliunde, etiam non interrogatus satisfacere creditori.

2^o. *Si non legitime interrogetur:* h. e. si judex non servet juris ordinem. Ut vero judex interroget legitime, requiritur, ut præcesserit aliqua diffamatio ob crimen aliquod, *c. 17. et 24. de Accus.* vel clara indicia, vel accusatio, aut denunciatio criminis cum semiplena probatione. Unde nec de occultis, nec de criminibus aliis non connexis cum eo, cujus jam est reus convictus, si sufficientia horum desint indicia, interrogare potest. Sic convictus de furto, nequit interrogari de homicidio, cujus adhuc desunt sufficientia indicia.

Quin non pauci Doctores, cum LESSIO, LAYM. contra alios, deobligant reum a fatenda determinate veritate delicti, si reo sit dubium, an legitime judex interroget? ex eo maxime fundamento: quod in dubio melior sit conditio possidentis, adeoque obligari non possit, qui in bonæ famæ possessione est, fateri contra se ipsum cum gravissimo suo incommodo, ac periculo vitæ, vel membrorum. Nec obstat, quod alias in dubio præsumatur præceptum superioris esse justum; hoc enim non tenet in casu, qualis est præsens, in quo ipsa præcipienti potestas est dubia; nec quando præceptum est conjunctum cum damno obedientis irreparabili.

648. At major hic exurgit controversia: teneaturne reus, licet interrogatus legitime, fateri delictum, ob cujus confessionem puniendus esset pœna capitali, sive privandus vita; aut afficiendus æquivalenti? Negat cum Doctore Angelico 2. 2. q. 69. a. 1. ejusdem Scholæ passim, cui et accedunt LAYM. SANCH. BÉCAN. et alii. Affirmant contra alii

cum LESS. LUGO. GARDEN, *Diss.* 19. *ad prop.* 26. *et seqq.* damnatas ab INNOCENTIO XI, PICHLER, recentiores plurimi. Illa tamen utraque in sententia certa sunt: *Primum*: teneri reum determinate fateri delictum, *si nulla sit spes evadendi*, velut si esset deprehensus, ut aiunt, in flagranti; si convictus sit, nec ibidem loci sit necessaria rei confessio, etc. *Secundum*: non posse eum idcirco mentiri, cum mendacium sit intrinsece malum; nullius vero procurandi boni causa, vel vitandi mali, liceat facere malum; nec eadem de causa uti restrictione pure mentali. Unde tota quæstio eo recidit: an, si spes sit evadendi, liceat reo arte, vel amphibologia eludere interrogationem judicis, vel an teneatur determinate fateri tale delictum? Libet cognoscere utriusque momenta partis.

649. *Momenta sententia negantis*: I. Si Judex interroget legitime, juste interrogat: sed juste interroganti judici tenetur reus fateri veritatem; ubi enim ex una parte datur jus interrogandi, debet ex parte altera esse obligatio respondendi; cum juri activo debeat respondere passivum, sive obligatio; correlativa enim sunt.

II. Dum judex juste præcipit, datur obligatio parendi in illo, cui præcipit: ratio est aperta; quia frustranea esset præcipiendi potestas, nisi ex parte altera daretur obligatio parendi: atqui judex juste interrogans de delicto capitali, juste videtur præcipere, ut reus fateatur delictum.

III. Si non daretur in tali reo obligatio fatendi delictum, plurimum inde damni redundaret in Rempublicam; cum hac ratione manerent passim impunita crimina; quilibet enim facile negaret delictum, cui pœna capitalis, vel æquivalens statuta.

IV. Judex, habita probatione semiplena criminis capitalis, jus habet torquendi reum, sive subjiciendi quæstioni severæ, itaque extorquendi veritatem; igitur et reus habeat, necesse est, obligationem fatendi delictum; vel ad quid alias tortura inventa?

V. Habita probatione semiplena capitalis criminis, potest judex reo deferre juramentum, quo vel fateatur, vel neget delictum: sed hoc deferri non posset, nisi teneretur fateri delictum; alias enim cessaret religionis obligatio omni juramento intrinseca.

VI. Si reus non fateatur delictum, mentitur; sique juramento negationem confirmat, pejerat: sed utrumque nullo casu licitum est.

VII. Si liceret negare delictum, ac juramento firmare negationem; ergo ideo, quia, quando agitur de conservanda vita propria, licet uti amphibologiis, sive verbis ambiguis ad celandam veritatem: sed hoc falsum est; nam INNOCENTIUS XI damnavit has propositiones, 1^o. inter damnatas ab eod. S. P. 26. *Causa justa utendi amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas; vel ad quentibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa.* 2^o. hanc ordine 27. *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel quodvis additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.* 3^o. hanc ordine 28. *Qui mediante... munere ad... officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum,*

quod de mandato regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum. Ergo.

650. *Momenta sententiæ affirmantis*: I. Judex non potest imponere præceptum ad aliquid humanæ infirmitati nimis arduum ac difficile, quod spectata conditione humana est moraliter impossibile: atqui tale esset præceptum judicis, si obligaret reum ad fatendum delictum, ex cujus confessione sequeretur extremum rei supplicium; eo quod natura summam et moraliter insuperabilem indiderit inclinationem homini ad conservandam vitam. *Maj.* ostenditur evidenter a majore ad minus; nam legislator humanus non potest ferre legem validam et obligantem ad rem nimis arduam naturæ humanæ, hujusque conditioni non proportionatam, adeoque moraliter impossibilem, ut habet omnium Doctorum constans assertio in *Can. 2. Dist. 4. et Tit. de Constit.* hinc ostendentium, leges humanas non obligare cum periculo vitæ, membrorum, aut alterius damni gravis; eo quod tales leges, cum sint moraliter inobservabiles, cederent in destructionem et ruinam; ergo multo minus ad tale quid obligare potest judex inferior. Aliud est de milite, cui juste præcipit dux, ut, cum certo licet vitæ periculo, ineat prælium; quia ad hoc se miles obligavit pacto jurato.

II. Reus, etsi ejus delictum capitale sit plene probatum, vel certe probandum in judicio, non tenetur comparere citatus, quamdiu nondum tenetur captus a judice: imo potest fugere e carcere, non obstante præcepto judicis, ne fugiat; quod plerique saltem concedunt adversarii, et vero abhorret a communi Confessariorum praxi, qui reum fugitivum non solent ob fugam condemnare peccati gravis, nequidem levis; ergo nec tenetur fateri delictum nondum plene probatum. Nec dici potest, reum citari solum conditionate, si habeat, quo se defendat; nam sequeretur, quod si non haberet, quo se defenderet, nolle tunc judicem, comparere citatum, etsi vere reus sit; quod constat, falsum esse ex usu tribunalium; citantur enim absentes, ut ad objecta respondeant, feraturque sententiæ vel absolutoria, vel condemnatoria; ergo absolute citantur.

III. Stante probatione semiplena, et nondum habita convincente, quilibet habet adhuc jus naturale ad vitam, et famam, usque dum clare constet de delicto; ergo et tuendi vitam ac famam; ergo et in sensu aliquo vero negandi delictum. Accedit, quod, stante solum probatione semiplena etiam in foro externo, adhuc haberi debeat pro innocente.

IV. Nemo tenetur, nec cogi potest ad testificandum in causa capitali contra junctos sanguine, *L. 4. ff. de Testib.* vel contra alium, si ex testificatione incurrat grave damnum; ergo multo minus cogi potest ad testificandum contra se ipsum in causa capitali; præcipue cum in *L. nimis grave 7. C. de Testib.* nimis grave esset, aliquem cogi ad exhibenda contra se ea, per quæ sibi negotium fiat; quod, si verum est in civilibus, quanto magis in causa capitali?

V. Falsum est fundamentum adversariorum, quod publica necessitas exigat, ut reus fateatur delictum, ne crimina maneant impunita: nam, etsi publica necessitas exigat per se loquendo puniri crimina; hoc tamen duntaxat verum est de criminibus plene ac rite probatis; non de aliis nondum sufficienter probatis, quæ puniri nec jus permittit, nec Respublica

exigit; sed nec huic expedit. Et vero, cum publica necessitas prævaleat privatorum bonis, sequeretur, cogi quem posse ad testandum contra sanguine junctos in causa capitali, contra *L. 4. cit.*: teneri comparere reum absentem, jam talem semiplene, imo plene in judicio probatum, quando citatus est: nullo modo posse reum convictum, imo jam damnatum fugere: non recte Ecclesiam fugitivis, jure asyli gaudentibus, offerre asylum; quia Ecclesia publicæ necessitati obstare non potest. Nimirum sufficit Reipublicæ puniri crimina perfecte probata, quoad fieri potest, ne foveatur delinquendi libertas: in cæteris criminibus non perfecte probatis pati debet Respublica per accidens, ea non puniri, sicut occulta alia.

En utriusque sententiæ fundamenta, cumque inter hæc meo quidem judicio (salvo meliore alio) non parum præponderare videantur, quæ modo pro affirmativa relata sunt; nosse adhuc refert, quid ad contraria negativæ respondeat.

631. *Responsa sententiæ affirmantis ad argumenta contraria. Ad 4^{um}. R. D. min.* Tenetur reus fateri veritatem, determinate fatendo delictum *N.* respondere in sensu aliquo vero, quod fieri potest etiam negando delictum *C.* Habita semiplena probatione judex habet jus interrogandi; sed et reus habet tunc jus naturale adhuc tuendi vitam; ideoque negandi delictum in aliquo vero sensu, quod ei a judice auferri nequit. Igitur uterque utitur jure suo; judex interrogando, reus respondendo veritatem occultans. Et sic jus passivum respondet activo: nimirum judex habet jus interrogandi, reus obligationem respondendi; sed quia judex ex prob. 1^a, non habet jus præcipiendi, ut reus determinate fateatur delictum, etiam is non habet obligationem illud fatendi. Sic, habitis sufficientibus indiciis, habet judex jus interrogandi testes, etiam ante juratos de dicenda veritate; ac tamen hi non tenentur testari de delicto, si exinde grave ipsis damnum impendat, *L. 7. C. de Testib.* Sic in casu criminis, dum judex nititur præsumptione falsa, e. g. dum Titius occidit Caium, sed tanquam aggressorem vitæ injustum, et servato moderamine inculpate tutelæ; judex ob sufficientia indicia, quod Titius occiderit Caium, habet jus interrogandi Titium, an Caium occiderit; et tamen e contra Titius habet jus negandi, potestque negare juratus, subintelligendo, *dolose*.

Si quæras: In quo autem sensu reus crimen negare potest?

R. In hoc: *non feci*; subintelligendo, *ut teneat illud fateri mei periculo capitis, vitæ, etc.*

Si dicas: hoc esse uti restrictione pure mentali, quæ nunquam est licita.

R. N. Sed est æquivocatione uti, quod ex justa et gravi causa licet; cujus plura exempla ipsa suppeditat Scriptura sacra. Differt autem æquivocatio a restrictione pure mentali, quod verba æquivocantis, vel ex se, vel in his circumstantiis prolata habeant sensum duplicem externe intelligibilem, verum et falsum: falsus est in his verbis ab audiente sumptis simpliciter, præcis circumstantiis, *non feci*; verus, qui a loquente semper intendi debet, *ut teneat fateri cum certo et summo meo discrimine*, qui licet reticeatur, externe tamen sensibilis est, si jungantur circumstantiæ; potest enim, vel saltem debet scire judex reum capitalis criminis non obligari ad fatendum crimen capitale; sicut in exemplis ante datis, At restrictio pure

mentalis est, quando verba nec ex se, nec ut prolata in his circumstantiis habent sensum duplicem; sed sensus mente conceptus et reticitus non est externe intelligibilis.

Ad 2^{um}. R. N. min. ut constat ex modo dictis ad object. præc.

Si dicas: Sic frustranea esset interrogatio judicis, nullumque haberet finem, si reus negando possit occultare delictum.

R. N. Etsi enim interrogatio judicis non obtineat effectum principaliter intentum, habere tamen potest alios. 1^o. Tenetur reus respondere vel negando, vel fatendo delictum. 2^o. Tenetur determinate fateri delictum, si advertat, se negando evadere non posse pœnam mortis. 3^o. Si forte reus, etsi non fuisset obligatus, determinate fateatur delictum, fit plena delicti probatio, ita ut judex eum condemnare possit; quod non posset, si non haberet jus interrogandi, ac legitima interrogatione non eliciisset confessionem.

Ad 3^{um}. N. seqq. Non enim noxium est Reipublicæ si non puniantur delicta, quæ non sunt plene probata. Constat ex prob. V.

Ad 4^{um}. N. Cons. Tortura enim etiam sine obligatione fatendi delictum juste adhibetur, et utiliter; quia judex habet jus, stante semiplena probatione, adhibendi quæstionem severam; nec hoc jus inane est, etsi reus non habeat obligationem determinate fatendi delictum, sicut nec jus ex supradictis interrogandi mansuete; forsitan enim tortura extorquet confessionem.

Ad 5^{um}. R. Omnia in hoc argumento mutant. Nam 1^o. *quoad Maj.* saltem certo non expedit, deferri reo juramentum ob proximum perjurii periculum, *arg. c. alius. de Cohab. Clér. et mul.* quidquid sit de quæstione theoretica, an absolute loquendo conferri possit? unde et in praxi deferri non solet. Sed et *min.* falsa est, ejusque probatio; sicut enim, ut in præc. dictum, non sequitur: potest judex, stante semiplena probatione, reum vocare ad quæstionem severam; ergo reus tenetur determinate fateri delictum; ita neque hic: estque insuper specialis ratio; quod, ut tradunt Doctores communiter, si gravi ex causa sub æquivocatione, citra mendacium, liceat occultare veritatem; etiam sub tali æquivocatione ac sine perjurio licite juretur. Exemplum rursus est in casu, quo vel judex non interrogat legitime, vel nixus præsumptione falsa.

Ad 6^{um}. R. N. utrumque; ac constat ex immediate ante dictis, tum ad 1^{um}. hoc n. 631.

Ad 7^{um}. R. Propositiones duæ priores agunt de restrictione pure mentali, ut ostendit CARDEN. in dictas propositiones *cap. 7.* alique passim. Et vero amphibologia genus est, sub se continens restrictionem pure mentalem, et æquivocationem. Amphibologiam per æquivocationem justam, gravique de causa licitam esse, adhuc hodie concors est Doctorum assertio; sic Christus ipse dixit: *de die illo (judicii) nemo scit; neque Filius Dei.* Matth. 24. Marc. 13. Quamvis Christus qua homo hunc diem sciverit, ait tamen se hunc diem nescire; sed subintellecto, tali scientia, qua utiliter reveletur quærentibus Discipulis. Demum prop. 28. damnata fuit propter Jansenistas, conantes eludere fraudulentè, cum restrictione mere mentali, injunctum sibi juramentum, juxta Formulæ ALEXANDRI VII. anno 1664. in constitutione: *Regiminis Apostolici*; adeoque huc est impertinens.